171
G
14

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

~~V : 124a~~
171 g.14
CA. 1488

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

124a

Marci Antonii. Sabel lici. in natalem diem diue virgīs Marie elegeia pr̄ia incipit feliciter

Irginis alma dies tellusquam pontus et aether.
Laudat ⁊ immenſi regia tota poli
Salue feſta dies coeleſtis conſcia ꝑtus
Virgeneo ſalue digna puerperio.
Venturam cecinere pij te carmine vates
Teq; ſibyllini non tacuere chori
At tibi naſcenti quanuis prænuncius iret
Splendidior ſolito: lucifer ater erat
Iret ⁊ aurato coniunx titonia curru.
Candidior cygnis: candidiorq; niue
Fuſcior illa tamen viſa eſt quis credere poſſit
Quanuis zelotypo ſit placitura viro
Clarius aſtrifero ſidus ſplendebat olympo
Cedere cui potuit phoebus ⁊ alma ſoror
Illius aduentum manes ſenſere profundi
Cerberus: ⁊ ſtygiam qui regit arte ratem.
Cynthius oceano nitidum quum tolleret axem
Et matutinis ſurgeret actus equis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Vidit et inſolito radiantem lumine mundum
Numine nonnullo ſenſit adeſſe diem
Quid cunctamur ait tātos ne morabimur ortus
Naſcere iā fas ē: naſcere ſancta dies
Dixit ⁊ extremis ſubito ſe ꝓdit ab indis
Caetera ſpectaſſes nil niſi ſplendor erat
Non pluuios lux illa notos: boreā ve niualem.
Sed mollis zephyros ſenſit ⁊ etheſias.
Credita nec caelo ē longis erroribus ulla:
Dulcia ſed vernās carmina fudit auis.
Perqꝫ diem nulli tentarunt bella leones.
Nullaqꝫ montanis praeda petita lupis.
Perqꝫ diem tutae iacuerunt littore phocae.
Forſitan ⁊ ſtygiā non tulit vnda ratem.
Pallidus inuiſis orcus parſiſſet ⁊ vmbris.
Parcere ſi poterat triſtior ille locus.
Pulchra fuit mundo fulſit quae p̄ma recenti
Nempe dies longe pulchrior vna tamē.
Pendebāt mites in ap̄cis collibus vuae
Strataqꝫ erāt paſſim poma ſub arboribus:
Preſſerat erigones flagrātem cynthius aluum.
Inſtabatqꝫ ꝓcul nec glacialis hyems.
Libra diem tacitis aequabat noctibus ⁊ iam
Spirabat tepido miſſus ab axe notus.
Verna fuit tamen illa dies vernare putaſſes
Aequoreos fluctus aethera tuta polos.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Haec eſt illa tui ſacri lux conſcia partus
Anna parens tantae ꝟginis anna parens
Foelix cui matri mater venerãda tonãtis
Annuit aethereo ſuſpicienda throno
Illinc maternos vultus miratur ⁊ vlnas
Et quae ſe totiens ſuſtinuere manus
Natalem celebrate ſacrum garamãtes ⁊ indi
Heſperiae gades ⁊ boreale ſolum
Hũc immenſa colat tellus hũc pontus ⁊ aether
Coeleſtes mentes ſidereiqꝫ chori
Ipſe ego pampineo ſeruatis menſibus anno
Virginis ante aras maſcula tura dabo
Solennemqꝫ diem traducam carmine ⁊ hymnis
Suſpendamqꝫ ſacro mũnera uoſtra tholo
Immodicaſqꝫ p̄ces addam: da ꝟgo quotannis
Ipſa tuo vati myſtica ſacra coli
Tu ꝟo aeternum quotiens lux alma redibis
Saepius hoc vultu vel meliore nites.

In regiaꝫ progeniem diuae virginis Elegeia. ſecũda

Egia progenies regis venerãda creatrix
Sidera cui parent tartareiqꝫ lacus
Natales regina tuos en tollere cantu
Aggredior coeptis intemerata faue

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Annue ⁊ aeternum valeant permeſſidos vndae.
Phocaicae laurus lebetridumq; chori
Tu cynoſura mihi medio dux certa profundo
Montibus ⁊ ſiluis tu mihi fida comes
Sed quid regalem repetam ne ab origine gentem
Et qui te ſancti progenuere patres.
Prodit in exhauſtum ſeries immenſa laborem
Pauca ſequar multum ſic quoq; gliſcet opus
Ille pius vates diuini carminis auctor
Ille ſenex gentis gloria prima tuae
Qui nō aequoreos fluctus coeliq; meatus
Dura nec aeolij carceris imperia
Qui nō magnanimos reges non triſti a bella
Sed ſecreta poli prodidit alloquia
Coelitus o quotiēs captus ſuꝑ aethera ſenſit
Unius ⁊ trini numen adeſſe dei
Ter veneranda tribus quotiens lux vna figuris
Eſt quoq; ſidereo viſa ſedere throno
Uirgineos ꝑtus ⁊ myſtica fata nepotis
Credibile eſt etiam tum didiciſſe ſenem
Caetera fatidico meditatus carmina plectro
Creditur ante ipſam praecinuiſſe diem
Huius idumeae poſt fatum ꝯditor arae — Salomon
Rege ſatus ſolomon regia ſceptra tulit
Hunc ſeqtur Roboā roboam trietris abiae — Roboā.
Qui ſubit ethyopem ꝯtulit aſa ducem — Abias

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Inde philiſteis ditiſſiā regna tributis Joſaphat

Ille tenet cuius nomina pauit arabs

Mox videre ioram nō mitia ſidera regem Jorā

Sidus ochozias triſtius inde tulit Ochozias

Difficiles audax populi molitur habenas

Quae ruit ante ſacras ſanguinolenta fores

Hinc regit ille puer quē inter miſerāda ſuorum

Funera nutrices ſurripuere manus Otholia

Victoꝛ amaſias ſceleāto ſāguīe maēs Joſias Amaſias

Vindicat. ꝛ pꝛis regia ſigna tenet

Cui vix vna tribꝫ luſtris acceſſerat aeſtas Ozias

Subſequitur fato deterioꝛe puer

Jā ſubit ſacrae poſuit ꝙ limīa poꝛtae Joathan

Limina rhyphea candidioꝛa niue

Magnꝰ agā hoſti poenas ſua ſacre reliquēs Agā

Dat pꝛo neglecta relligione ſyro

Imperat ille piꝰ tēpli ꝙ ſancta recludit Ezechias

Limina: ꝛ antiquos iuſſit adeſſe choros

Ditioꝛ hic croeſo celibꝛat quem fabula lydo

Ditioꝛ Idaeo laomedonte fuit.

Te taciturus eram luci fabꝛicatoꝛ ꝛ arae:

Sed veneranda domus me tacuiſſe vetat

Huic ſuccedit amon: cuius poſt fata ioſias

Regnat ꝛ in vanos concitat arma deos

Euertit magicos lucos euertit ꝛ aras

Maioꝛis faſſus numen adeſſe dei a iij

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Quid ioachim reliquoſqꝫ canam poſt triſtia regni.
Excidia illuſtris qui ſubiere viri
Fatidicos ne ſenes num carmina ſacra reuoluam.
Coeliculumqꝫ patrum ſancta miniſteria
Tu mihi virgo ſatis ſumma ad praeconia ſiue
Epica plectra magis: ſeu magis iſta placent.
Tu ſplendoꝛ tu gentis honoꝛ tu ſumma tuoꝛum.
Gloꝛia: ⁊ antiqui phama ſupꝛema laris.
Deniqꝫ tu quicquid poterit ſuccurrere vati
Ara tibi erecta eſt ad tua ſacra veni

Quo ritu ſit ad diuae virginis aram ſacrificandum

Elegeia tercia.

Vrrite virgineas cir
cum diſponite lauros
Qua rudis haec dominae tollitur ara meae.
Ite inſtat ſolenne ſacrum ꝓperate miniſtri
Abſit ⁊ a votis vana ſuperſtitio
Haud quiſqꝫ ante aras aurata fronte iuuencum
Lanigeram ve mihi de grege ſiſtat ouem
Non caper hic baccho viuax nō cerua dianae
Non tibi phoebe celer hic cadit ictus equus
Irrita ſacra vacent iam iam vacet irritus ille
Sacroꝝ ritus quem tenuiſtis aui
Pro furoꝛ ille fuit. gaudent non ſanguine q̄s nam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Ignorat coeli numina ſed precibus
Ter luſtratus aqua niueaqȝ in veſte ſacerdos
Prodigus arcanis det pia tura focis
Stent pueri circum trepidi innuptaeqȝ puellae
Perſpicuus certa virginitate chorus
Quem ſi forte iuuat feſtas ductare choreas
Comprimat intonſas candida vitta comas
Succincti niueas veſtes altaria circum
Virginis aethereae nomina magna vocent.
Sacrificis nabatea focis dent tura miniſtri:
Dent quoqȝ coricij mollia fila croci
Stet matrona ꝓcul moneo ꝓcul inde reſiſtat
Quaecunqȝ eſt primos paſſa puella toros
Non florae ludicra paro non orgia baccho
Mollia cecropiae non paro ſacra deae
Sed q̄ ꝑcipuos meruit geſtare triumphos
Perpetuumqȝ decus virginitatis habet
Non hanc laſciui motus riſus ve procaces
Sed meritura fides ⁊ pia tura mouent.
Hic voces iactare pias ad ſidera fas eſt.
Exaudit iuſtas virgo vocata p̄ces
Turicremas moneo venerabere ꝟginis aras
Protinus ⁊ tutum carpe viator iter
Hinc licet ⁊ typhis committat carbaſa ventis
Non niſi mitificas ſentiet etheſias.
Vota hic maturis pro frugib⁹ annua ſiſtat

Vinitor: ⁊ quiſquis vomere ſulcat humum
Hanc pro foetura pecorum tutela magiſtri
Pro grege munificam rite litate deã.
Hic pacez qui pacis amat laeta ocia quaerat.
Quaeritet ⁊ ſupplex hic ſibi pauper opez.
Non niſi vocalis quamuis modo mutus abibit
Claudus eat celeri ceſſerit inde gradu
Audiet ⁊ ſurdus: fuit ⁊ qui lumine captus
Protinus aſpiciet faſſus adeſſe deã.
Deniqꝫ quiſquis erit ſanctas qui aduenerit aras.
Virginis imploret numina magna meae
Nos quater o liceat totis venerabimur annis
Quem de ceſpitibus fecimus eſſe locum.
Ceſpitibus duris rudis haec mihi tollitur ara
Viueri ſe fas ẽ nil niſi marmor erit
Hic ⁊ maturae pendent cum vitibus vuae.
Et quum decreſcit frigida rurſus hyems.
Dulcibus hic etiam vernant quum rura diebus
Et quum tritici praeteriere dies
Supplicibus votis ſtantes adoleuim⁹ aras.
Ignibus effundet garrula turba preces.
Hic toto bona verba die dixiſſe iuuabit.
Saepius ⁊ dominam ture litaſſe meam

Ad nazareth natale ſolum virginis.
Elegeia quarta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Jc rogo phoebeos quae proxima ſuſpi
cis ortus
Naſcentis dominae conſcia terra meae
Illuxit quum laeta dies: qua diua tonantis
Humano generi eſt ꝛ tibi nata parens
Quae tibi ſigna dedit coelum q̄ nūcius aether
Qualis eras ioachim regia parua ſenis
Hic quamuis nitido phoeb us prodiret olympo
Hic minor aetherea lampade ſplendor erat
Coeleſtes circum cunabula parua miniſtri
Quot ſteterant trepido lucida turba pede
Quales pia domus circumfundebat odores
Quis dabat arcanis mollia tura focis.
Ne tua diſſimula mihi gaudia. ſuſpicer ante
Cernere pn̄tes non meruiſſe deos
O nimium foelix tell⁹ tua ſi bona noris:
Terrarum nulla es maxima terra fores
Sic quocꝫ q̄s neſcit delos tibi ceſſit ꝛ ida
Iſta licet vanos iactet ꝛ illa deos
Ceſſat ꝛ aequoreis vndis circunflua cypros
Illuſtriſcꝫ ſamos trinacriumcꝫ ſolum
Denicꝫ quaecūcꝫ eſt tellus commenta ꝑ orbem
Quos male pro ſuperis ture litaſtis aui
En age phoebeos caſus ſcrutemur ꝛ ortus
Quacꝫ fremens calido ſpirat ab axe notus.
His quocꝫ ripheas addas licet anxius arces

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Nullus erit toto maior in orbe locus
Nō mihi maior erit q̄ p̄mos terra parentes
Reddidit humanum proditur vnde genus
Non natale ſolū ponto quum merſa iacerent
Omnia. qui ſtruxit rexit ⁊ arte ratem
Non moyſi ſint ampla licet: cunabula tanti
Primorumq; trium tecta verenda patrum
Nō quae magnanimos reges magnoſq; ꝓphetas
Nouit. idumaei regia clara ſoli
Proſtratam bello tenuit te roma quid inde
Non valeam ſi nō tunc quoq; maior eras.
Iactet marte ſatos fratres regeſq; ſup̄bos
Oebaliumq; addat ambitioſa numam
Quiq; reos caedis iuſſit ſe conſule natos
Tanta fuit patriae grā tantus honor
Iactet ⁊ auſonium ſpreuit q̄ cloelia tybrim
Quaeq; fuit latiae phama pudicitiae
Et quem deceptae plectentem crimina dextrae.
Cernere magnanimus porſena non potuit
Quiſq; ſibi pontem paſſus poſt terga reuelli
Ipſa licet: contra ſtaret hethruſca manus
Tercentum fabios aſſertoreſq; camillos
Necquibus agnomen aphrica victa dedit
Non catulos decioſq; duos geminoſq; catones
Non capitolini nomina magna laris.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Nec taceat coſſum nec te marcllee relinquat
Non curios parcos fabriciumq; ſenem
Tollat ⁊ immenſum ſyllam marioſq; feroces.
Pompeioſq; duos caeſareamq; domum
Ipſe etiam thyriae tollant ſe laudibus arces
Jactat ⁊ ingentes punica terra duces
Neu ſileant gades. nec gens ſuprema britanni.
Aruigarum fas eſt aruigarumq; vocent
Gallia ſi quid habet ſi quid germania laudent
Cantent ⁊ illuſtris graecia docta viros
Arſacidumq; genus memorent ⁊ praelia parthi
Eptolemaeorum nobile ſtemma pharos.
Clarior vna q̄dem terraq; beatior omni
Naſcentis dominae conſcia terra meae.
Tu bethleem ſummi regis veneranda creatrix
Crederis hoc ipſum praeterijſſe decus
Hanc p̄mam immenſi coeli fabricator ⁊ orci
Factus homo mixto nomine preſſit humum
Haec igitur regum regem tulit illa parentem:
Utraq; terra ſuo data puerperio
Iſta vel illa coli digna eſt ſit longior aetas
Sentiet alterutrum munera noſtra ſolum
Nūc age ꝟgineo tellus memorabilis ortu
Suſcipe deuotae munera parua lyrae.
Tu mentem metire tui non munera vatis
Munera nou flectūt. ſed pia corda deos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

De natali diuae ꝟginis ad illuſtres ſui ſaeculi poetas. Elegeia quinta.

Atalem celebrare diem ꝓ ꝟginis almae
Uirginis ante pium poſtqꝫ puerperium
Huc ꝓperate pij vates cantare periti
Luſtret honoratum laurea ſancta caput
Ipſe ego ꝟgineae factus modo villicus arae
Gramineos ſterno ſedulus ecce thoros
Hic ſub pampinea carmen meditabimur vmbra
Quam fons perſpicua leniter ambit aqua
Stant circum platani denſaeqꝫ ex ordine laurus.
Ceſpitibus medio tollitur ara ſolo
Lux ſolennis adeſt iam dum ſubſellia fixi.
Ite precor latij phama ſuprema viri
Docte philelphe veni fas eſt pater optime cultam
Claudere ꝓ tanta virgine ſfortiadem
Imꝑfecta ſeni ne ſit ſua pheltria vati
Ne ve ſabine tibi belgica bella more.
Tu quoꝫ ne ceſſa muſis comitare ſicanis.
Pandormita tuae gloria trinacriae.
Huc pontanus eat necnon mihi redditus oris
Pannoniae maior nomine callimachus.
Phileticumqꝫ ſuum nihil hernica nympha moretur
Nil verulana meum moenia ſulpitium
Huc volſcus marſuſqꝫ adſit iuniorqꝫ catullus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Adſit ⁊ arguti laurea pierij
Nec decantati totiens remorentur amores:
Te mihi ſed cultam coſmice tende chelyn
Calphurni pia muſa veni: tuqꝫ ipſe venito
Carbo ferox tanto conſpiciende choro
Dalmaticum cipicon: cupiduſqꝫ huc plectra requiro
Cenomani multum ſobria cimbriaci
Tu pylade comitate tuo doctoqꝫ catullo
Corneli huc adſis huc ⁊ alexis eat.
Haec meus aurato teneat ſubſellia plectro.
Cynthius auſoniae phama futura lyrae
Creticus argiuis adſit reuocatus ab oris
Et tibi qui fuerat cretice magne comes.
Tranſeo: ſed multos forſan quos phama recondit
Et quorum nondum cognita muſa mihi eſt.
At vos pieridum vates decus ite vocati
Qui ſolemnis adeſt hunc celebrate diem
Omnia virgineo reſonent mihi carmine ⁊ hymnī
Non niſi per laudes lux genialis eat
Ipſa ſui interea patris miranda creatrix
Aethereũ gratos ſpectet ab arce choros.
Illuſtreſqꝫ viros nunc primum forte reuulſos.
Fontibus aonijs ad ſua ſacra vocet
Et ſibi facundo meditari carmina plectro.
Gaudeat aethereo conſpicienda throno

De ꝟginitate eiuſdem. Elegeia ſexta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Hactenus ecce tuos virgo venerabilis ortus
Diximus et gentis nobile ſtemma tuae.
Uirginitas honos mirãdaqꝫ gloria nunc me
Admonet: incoeptum dirige vatis iter.
Non leuis exiguo verſatur puluere curr⁹.
Fluctuat in tenui non mihi linter aqua
Planicies hinc vaſta iacet: iacet inde ꝓfundum.
Siue paro terris pergere ſiue mari.
At faueas nulluſqꝫ in eis moderetur habenis
Autumedon: typhis nec regat ipſe ratem.
Alter et autumedon medio certamine credat
Alter ꝛ in medijs te duce typhis aquis
Te ſine conat⁹ fruſtra meditabimur omnes
Et ſine te null⁹ proderit vſqꝫ labor
Praeterea non ipſe mihi berecynthius atis
Luditur aut quales pauit adonis oues
Non his raptus hilas. non triſtia fata lycurgi.
Uecta nec inſolitis hippodamia rotis
Deniqꝫ non priſco decies cãtata cothurno
Fabula ſed mentem grãdius vrget opus
Ardua res certe ẽ vani non indiga phuci.
Quaeqꝫ velit plectro nobiliore frui
Quiſquis enim regina tuas comprẽdere laudes
Audeat: et verſu praemia magna ſequi.
Ille etiã memoret mot⁹ et ſidera coeli.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Quam vernante die plurima vernit auis,
Quot libycae ſpirāte noto glomerantur harenae.
Et quot cecropie:: ver populantur apes
Plus tua virginitas meruit q̄ꝫ grata tonāti
Ordinis adſtātis ſancta miniſteria.
Et plus quā quos ipſa ſuper lux trina recumbit
Coelitibus cunctis nomina grata chori
Non tātum numeroſe ſeraph meruiſſe putaris.
Deniqꝫ non reliqui tā meruere chori
Quem non elyſus repetitꝰ clamor ab aruis
Quem non mille patrum commuuere p̄ces.
Uirginitas haec ſola poli ſecreta tenentem
Creditur in terras elicuiſſe deū
O foelix nimium foelix quē non capit orbis
In tua ſe fudit viſcera factus homo
O nimium felix coelos qui ꝛ cuncta creauit.
Lactaſti tanto pignore digna parens
O nimium foelix dextra ſua regna tenentem.
Altrices cuius ſuſtinuere manꝰ.
Te coelum te terra colit te pontus ꝛ aether
Forſitan ꝛ ſtygiae te venerātur aquae.
Sis foelix quotiensqꝫ p̄cor reuocabere vati
Protinus huc adſis delitioſa tuo

De p̄ſentacione virginis ad templū. Elegeia: ſeptima

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Enerat alma dies qua te pia vota mariti
Soluere coelicolis fas erat anna tui
Exierat teneris iamdum virguncula cunis
Ibat ꝛ trepido pergere docta gradu
O quales voces q̃ʒ dulcia ꝟba parenti
Reddidit arcano blanda puella ſono
Tanta q̃dem nõ talis erat cum viſa ꝑ annos
Poſſe capi oebalio fertur amata numae
Gratus vterqʒ parens ad lumina ſacra tonantis
Limina ryphea candidiora niue
Supplicíter niuea ſtabatqʒ in veſte ſacerdos
Ante fores gratum conſtituiſtis onus
Candida veſtis erat praecinctaqʒ tp̃a lauro.
Caetera ꝟgineum non decuere caput.
Hic vtriusqʒ manu templis illata parentum
Conſtitit ante ipſum parua miniſtra tholum
Gratius haec quando productum munus ad aras
Quando dari potuit victima tanta deo
Pluris ꝑua fuit virgo. mactare parentis
Ante aras natum q̃ʒ ſenis obſequium.
Quã noua q̃ primus libauit dona ſacerdos
Quam ꝑp̃li ſanctae deniqʒ primitiae
In ꝑp̃lm hic ocl'os rex ſator ipſe retorſit
Coepit ꝛ in melius vertere conſilia
Sperari coepta eſt miſero ꝯcordia mũdo
Senſerunt manes proxima fata pij

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Haec erat illa pijs totiens repetita prophetis
Exemptura ſua virginitate nefas:
Quicquid prima parens mortalis abſtulit vna
Virginitas tanti reſtituiſſe fuit
Intermiſſa mouent quid te commertia natae.
Quid dederis neſcis ne moueare parens
Quod non vis auri totus ve redemerit orbis
Quā das pro populo ſola puella poteſt.
Hinc erit ille nepos inſonti ſanguine qui te.
Humanūq; velit reſtituiſſe genus
Horridus immerſi trepidat quem ianitor orci.
Prorſus ⁊ infernae nauita triſtis aquae.
Purget ⁊ elyſios campos clauſtriſq; refractis
Emergat qui auras victor ad aethereas
O foelix quicunq; datom ſuffuſa robore
Cernere praeſentis virginis ora meae
Indolis o qualis ſpecies q̄ clara futurae
Induerat vultus ſigna pudicitiae.
Non ſata mortali coelo dimiſſa videri
Hic pudor hic pietas hic decor omnis erat
Virginibus ſubducta loco penetrale ſubiuit
In medio talis conſpicienda choro
Qualis nocte cadens prima inter ſidera veſper
Inter hamadryades delia qualis erat
Tu veneranda parens cum coniuge parua reuiſis.
Limina iam voti liber vterq; ſui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

De miniſterio virginis ad aram in tẽplo. Elegeia. viij.

Icite idumeae vrã eſt nam phama puellae
Quando paleſtini plus meruere foci
Quando magis licuit ſuperos ſperare ſecundos
Quando fuit tantus relligionis honor
Quã dominae quum dextra meae geſtabat acerrã
Placabatq; ſuos parua miniſtra lares
Dicite dimiſſo properat dum ſingula vultu.
Virgineo qualis ſedit in ore rubor.
Nunq; hilaris non moeſta fuit per caetera nonne
Numinis omne fuit omen in alloquio
Quid totiens veſtae fanum penetrale vetuſtas:
Veſtaleq; refert ambitioſa chorum.
Integritas ſeruata metu non grata miniſtris.
Sed patriae ritus relligionis erat
Hinc pudor inde metus ſperataq; verbera ſaeui
Pontificis: veſtae ſi periere foci
Terrebatq; ſpecus collinae proxima portae
Non niſi pollutis cognita virginibus.
Virgineum nunq̃ ſpargi mea virgo cruorem
Viderat aut terris inuida membra tegi
Virginitas ſed grata fuit quam parua tonanti
Vouerat: ⁊ ſanctae norma pudicitiae.
Non memini. ſed ſi talem ſortita miniſtram
Veſta foret patrum vana ſuperſtitio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Credibile eſt vix ſena deae ſat luſtra fuiſſe
Emeritaqꝫ manu ſe voluiſſe coli
Pro populo ſola haec faciat permittite magni.
Pontifices: ſanctis det pia tura focis
Voſqꝫ paleſtinae templi tutela puellae
Fundite deuotas dum facit illa p̄ces
Cuius dextra magis poterit flexiſſe tonantem
Aut quae venturo gratior eſſe manus
Quam totiens qua ſe guſtandum deſtinet: aut qua
Optet ab aethereo culmine lapſus ali
Tu quoqꝫ magna roga quid .n. tibi virgo negatum
Ille velit cui ſis ſaepe vocanda parens
At te humilem peruāqꝫ geris minimāqꝫ miniſtram.
Credis ꝛ in tanto te nihil eſſe choro.
Cunctarum tu iuſſa facis dictataqꝫ ſacra
Biſqꝫ die obſequium terqꝫ operata pium:
Longaeuaeqꝫ frequens adſtas ſtudioſa magiſtrae
Deceſſura pio non niſi iuſſa loco
Synaicas leges ꝛ fata prophetica diſcis
Virgineae ſortis nuncia fata tuae.
Pro quotiens tantam matrem mirata precaris
O venias oculis conſpicienda meis
Virgo ſuprema veni miſeri ſpes vnica mundi.
Ante tuos liceat procubuiſſe pedes.
Figere praetentae detur precor oſcula plantae.
Et tua ſi non ſim ſerūula credar ego.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Sed quid ais cuiuſue cupis dic ſerua videri.
Cuius adoptatos procubuiſſe pedes
Si neſcis tu illa es virgo qua miſſus olympo
Naſcitur intacta virginitate puer
Eia age ⁊ exacto gemino tua praemia luſtro
Praemia momentum grande ſalutis habe

De apparatu virginei triumphi. ⁊ in primis de ipſius currus ornatu. Elegeia nona

Eſſit inexpleti tādem poſſeſſor auerni
Et qua victor erat hac quoqꝫ parte iacet.
Ducite laurigeros huc templi ad limina currus.
Sit victrice nihil pompa futura minor
Aureus axis erit temo aureus ornet eburnas.
Stellatasqꝫ decet plurima gemma rotas
Hic carchedonij radient opaliqꝫ rubentes
Aſſimilis viridi tuqꝫ ſmaragde freto
Chryſopilon durusqꝫ adamas teretesqꝫ cylindri
Et quod quaerenti dat tibi cythis arabs
Acopis ⁊ quondam precio ſpectatus achates
Fortis ālectoriae gallaicosqꝫ duplex
Multicolor mitrax nec non ⁊ candidus ion
Baſidas ne ⁊ venis pulcher apiſte tuis
Splendeat hic arabes quicquid miſiſtis ⁊ indi
Arte laboratum caetera ſpiret ebur
Atqꝫ duplex rerum ſeries viuiſcere quarum.
Altera credatur nobiliore manu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Altera non notis rudius celata figuris.
Perſpicuumqꝫ: tantum relligionis opus
Hic ſpectare noui liceat primordia mundi
Ut terras rerum condat ⁊ aſtra parens
Juſſus vt elatas ſedes ſibi vendicet ignis
Aer vt in medio praeſtet ⁊ vnda loco
Utqꝫ nouis errent ſiluis animalia: primus.
Utqꝫ parens ſtupido corpore ſurgat humo
Hic male contacti ſpectantur crimina ligni:
Et nece fraterna cōmaculata manus
Exilio damnata domus tumidiſqꝫ ſub vndis
Obrutus: vt quondam maximus orbis erat
Arca vetus rectorqꝫ ſenex ſobolesqꝫ ſub illa
Et modo victricis nobile ſtemma domus.
Obſequiumqꝫ ſenis prolem mactare parentis
Et pueri inſontis myſtica venditio
Nec procul aſſurgant diuini culmina templi
Geſtaqꝫ cum populis proelia finitimis
Niliacus carcer deſertaqꝫ errata famesqꝫ
Non niſi diuino contolerata cibo
Diuiſumqꝫ fretum nec non remeantibus vndis.
Spectentur phariae quae periere manus
Igneus ille rubus moyſes quem viderat: ⁊ quae.
Pumice percuſſo proſiluiſtis aquae
Deniqꝫ ſynaicae leges reparataqꝫ regna.
Pontifices templi: virgineuſqꝫ chorus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Se quoq; permixtam virgo galilea miniſtris
    Cernat ⁊ arcanos ſaepe adolere focos
Parte alia miranda quidem ſint multa nec ipſis
    Intellecta nouis condita imaginibus.
Hic miretur vti ſumoſis nuncius alis.
    Portet ab aethereo culmine miſſus aue.
Inſcia vt aſpectu titubet virguncula primo
    Tradat vt edoctas ad pia fata manus.
Atq; eadem praegnantis vti montana ſororis
    Viſat vt optatum gentibus aedat onus
Spectentur pueri inſontes infanda tyranni.
    Imperia. ⁊ domini nuncia ſtella ſui.
Vtq; tribus praelata magis ſint munera: ⁊ ipſum.
    Monſtratum coelo tutius effugium.
Auctorem texere ſuum deſerta canopi
    Concidit in matris plurima palma manus
Fatidicusq; ſenex reſerans ſua fata: relatus.
    More patrum rurſus in ſua templa puer
Regis ſancta cohors ⁊ publica verba ſalutis.
    Et data biſſenis dogmata diſcipulis.
Obuius aut matri ſtygio ſit victor ab orco
    Horteturq; palã terq; quaterq; ſuos
Deniq; vt ad ſuperos ſcandat rediturus ad ipſum
    Ultima poſt mundi ſaecula iudicium.
Ipſa licet media miretur ſingula pompa.
    Tale decus rerum neſciat eſſe ſuum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Ornet ⁊ eoꝝ currus faſtigia laurus.
Laurus perſpicuae virginitatis honor.
Candida vela duo praeſtat ſuper aureus illis
Ales erit cuius funera nouit arabs
Non niuei iungentur equi: non deniqꝫ tigres
Subiuga: ſed caſti monocerotes eant
Apparatus ⁊ proceſſus virginalis triumphi
Cande triumphales virgo tãneia currus
Pro foribus templi pompa parata tibi eſt.
Jam dudum captiua phalanx praecedere coepit
Poſt humeros ſaeuas turba reuincta manus.
Praeceſſit ſuperis inuiſa ſuperbia cuius.
Jn ſua conſurgit cornua torua caput
Jnfenſae comes eſt infenſior ira ſorori
Pergit inexpletae pallor auariciae
Liuida cura ſubit nec non damnata perenni
Torpori facies horrida deſidiae.
Conſequitur veneris ſpecies lutulenta nefandae
Formaqꝫ damnoſae luxurioſa gulae
Ocia foeda ſimul: ſimul eſt quoqꝫ viſa voluptas
Et cum mortifero crimine culpa ſequi.
Segnities ⁊ ſomnus iners tactuſqꝫ nefandi
Nequiciae mollis luxus: inanis honos.
Eumenidum pictae facies ⁊ flumina auerni
Deniqꝫ praeſigni praeteriere nota
Omne nefas claro praemiſſa eſt praeda triumpho.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Ne tibi ſis virgo glorificanda morae
Turicremis abſcede focis: arisqꝫ relictis
Uirgineo prodi conſpicienda choro
Ipſa ſed eoo victrix iam tollitur axe
Uictricesqꝫ p̄mit laurea parta comas
Inſtita virgineas abſcondit candida plantas
Perradiat niueos plurima ſtella ſinus
Non alius quiſqꝫ decuit me iudice cultus.
Iudicium candor virginitatis habet.
Ite licet ſolimae veſtra quoqꝫ phama miniſtrae.
Carpite communis praemia militiae
Conſortes meriti collegaqꝫ turba fuiſtis
Sit tua tam claris gloria militibus
Ite coronatae victricia tempora lauro.
Dextra gerat palmam concutiatqꝫ manus.
Proxima progreſſo fuerit manus iſta triumpho
Carmine virgineum teſtificata decus
Succedat numeroſa choros pompāqꝫ ſequatur
Quaecunqꝫ eſt nullos paſſa puella toros.
Adſit ⁊ a ſolimis virgo digreſſa ciliſcis
Adſit ab irriguis vallibus hierici
Accolit ⁊ quae te fluuio iordanis amoeno
Praefortunati conſcia nympha vadi
Si qua tenet diras famoſi aſphaltidis vndas
Callirohen medicam geneſarāqꝫ bibit
Tharicien quaecunqꝫ colit tenāqꝫ ſebonqꝫ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Et te ſamario condita lydda ſolo
Intactas huc tāna manus huc mittat idumae.
Et bedoros quicquid virginitatis habet.
Nec ſit gaza morae raphiae properatae puellae.
Protinus eluſam linquite ⁊ epiceron
Vos nihil heſſeni fas eſt huc mittere nuſq̄
Palmiferis errat foemina veſtra locis
Nec ſtimulat laſciua venus ſobolis ve cupido.
Sed ſobolis praeſtat conuena turba vicem.
Incola non deſit caſi quem lumina phoebi
Cernere naſcentis nocte ſilente volunt.
Huc coeat galilaea phalanx betheleia q̄ turba
Quaeq̄ colunt piares ardua ſaxa manus
At vos municipes neu linqnite veſtra puellae
Moenia: ſacrificis ſed date tura focis
Nemora ſit rebus victricia ſigna propinquāt
Ipſa triumphatrix gloria veſtra venit
Ite ⁊ victrici linguis animuſq̄ fauete
Reddite tam clarae premia militiae.
Cingite mox laetam velis ⁊ frondibus vrbem
Gaudeat ignota relligione dies
Clamet io vulgus repetitis vocibus ipſi
Seq̄ ſciant nunq̄ plus meruiſſe lares

De cauſis dn̄icae annunciationis. Elegeia. x.

Iuſticiae moderare tuae gladiumq̄ remitte.
Iuſtus es atq̄ idem crederis eſſe pius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Parce ſatis luimus miſerandae crimina culpae:
Poſtera progenies inſcia turba ſumus
Reſpice poſſeſſum ſtygijs p̄donibus orbem.
Deſinat antiquum perdere cuncta nefas
Flumen in immenſum primi coiere parentes
Supplicij immenſus debuit eſſe tenor
Sed tua te pietas flectat generator olympi.
Poenarum exhauſtum credimus eſſe nimis
Te coelum te terra rogat te pontus ⁊ aether:
Muſcoſi fontes perſpicuiqꝫ lacus.
At te ſtagna ſoli ſinuoſaqꝫ flumina clamant.
Clamat ab immenſis caedua ſilua iugis
Indomiti colles poſſeſſaqꝫ rura colonis
Seu rigeat bruma ſeu modo vernet ager
Te volucres piſcesqꝫ orant te grandia cetae:
Quadrupedumqꝫ greges omnigenumqꝫ pecus
Quicquid in humanum vertiſti conditor vſum.
Immemorem domini te vetat eſſe ſui
Cui ſpectanda olim numerandaqꝫ ſidera coeli.
Cui data terrarum machina tota poli
Cui quoqꝫ debuerant animantia cuncta teneri.
Tartareo merſus ſub phlegethonte iacet.
Illa tibi aſſimilis ſpecies iacet obruta flammis.
Auctoris mundo nuncia forma ſui
Humanum miſerata genus te cuncta precantur
Teqꝫ rogant populi contrahe fata tui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Hoc rogat elyſijs clamor repetitus ab aruis
Quid veteres tantum commeruere patres
Ut ſileam fauces contuſaq; pectora guſtu
In medio phama eſt indoluiſſe virum
Supplicium doluiſſe tamen. poenāq; perennem
Comminuit tanti poenituiſſe fuit
Te vocat ille ſenex oppreſſae conditor arcae
Qui niſi biſdena ceſſit olympiade
Te moyſi ſpectata fides: atq; impigra fratris:
Imperia ⁊ ſanctae praemia militiae
Te patris obſequium meditātis funera nati
Quo caſura magis victima grata foret
Te quoq; longaeui mitiſſima facta parentis
Unde per illuſtres exoluere tribus
Te pietas nati fratrum quem turba perodit.
Fatidiciq; rogant ſobria plectra ſenis
Clamat idumei templi molitor ⁊ arae.
Et qui nos docuit triſtia fata pati
Uirtutum numeroſa cohors tibi deniq; ab imis
Sedibus extenſas tollit in aſtra manus
Promiſſam ſobolem poſcunt pignusq; ſalutis
Omnia ⁊ aduentus tempora laeta tui
Tu natum dimitte polo ſator almae: reperta eſt.
Fertilis ⁊ tanto ſemine digna ſeges

De vi catholicae fidei aduerſus veteres coeli perſcrutatores. Elegeia duodecima

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

ſtrorum potuiſſe nouos deprendere curſus
Ueſtra parethonij eſt gloria magna viri.
Ite licet radio partam praetendite palmam.
Sitqꝫ perenne decus: ſitqꝫ perennis honor
Coelorum ſeruare vices docuiſtis ⁊ aſtra.
Quod monſtraſtis iter poſtera turba: terit
Paulatim vaſti vobis auctoribus iaps.
Innotuit moles irrequieta poli.
Utqꝫ haec biſſenis totidemqꝫ fugacibus horis
Uertatur tacita lubricitate ſemel.
Continuo errantis lunae ſoliſqꝫ labores
Cognita ⁊ obliqui ſemita zodiaci
Inqꝫ duodenas abijt diſcreta figuras
Zona vagaturis peruia ſideribus
Mox quibus inter ſe ſpacijs ea ſidera diſtent.
Septenoſqꝫ fuit diſcere cura tonos
Quo non laete ſenex tute ſaturne receptes
Quo iouis idaei proſpera ſtella micet.
Ut gelido mare mixtus auo per victrica regna
Temperet affinem: mitificetqꝫ iouem
Ut gemina verſere domo tu bellice: monſtri.
Terga cleonei non niſi phoebus amet
Hinc veneris notuere lares dubijqꝫ meatus
Lux quoqꝫ phoebeis aemula luminibus.
Quo facunde loco mediteris fata repertum eſt.
Cylleni ⁊ phoeben quod iuuet hoſpitium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Praeterea ignotum ne quid mortalibus eſſet.
Scrutata eſt geminos improba cura polos:
Deprenditqꝫ pari curſu per climata labi
Diſſimiliqꝫ tamen ſidera curriculo
Inde hyadas pleiadasqꝫ notat craſſamqꝫ nitentem
Quam teneat coeli piſcis vterqꝫ plagam
Qua religione poli ſpacietur lubricus anguis.
Quo ſitus arcthophylax quo cynoſura loco
Nec ſuperas reſeraſſe fores contenta quieuit.
Mens hominum nixa eſt vlteriora ſequi
Defectus hic phoebe tuos praedicere graijs
Ante diem latio nititur ille ſuo
Unde imbres mixtiqꝫ ruant cum grandine nimbi
Hauriat vnde ſuas concolor arquus aquas
Quid tam dira micent turbantes regna cometae
Unde micent ſubitae bolides vnde faces
Et quae tam denſae iaculentur fulmina nubes
Fulmina quid poſſit elicuiſſe polo
Quid boreas zephyriqꝫ ferant quid ve auſter ꝛ euri.
Quis pluius terris quis ve ſerenus eat
Caſuros lapides coelo ceciniſſe vetuſtas.
Creditur o mira cognitione viri
Foelices coeli mentes rerumqꝫ capaces
Durat adhuc veſter quem peperiſtis honos
Peruentum ad limen coeli eſt poſteſqꝫ recluſi
Altius attolli non potuiſtis aui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Non ſpeculae phariaeqȝ rudes numeriqȝ ſequaces.
Nullaqȝ adhuc tanti ſedula cura fuit:
Scrutari ſecreta poli ſedesqȝ beatas
Et quae ſuſtineāt pondera ḡta throni.
Una quidem ſpecies ternis diſcreta figuris
Hic pater hic natus luxqȝ ſequeſtra ſedet
Trinus ꝛ vnus amor trina eſt atqȝ vna poteſtas
Hic deus atqȝ ille eſt tercia forma deus
Ecquis vbi illa aderat mundo promiſſa precanti
Foelices inter ſemper habenda dies
Qua noua progenies mitti debebat olympo
Progenies noſtrum ſoluere miſſa nefas.
Quis rogo conſenſus mentem territe verendi
Uerbaqȝ mirandi mutua concilij
Deniqȝ quis nouit ſolij decreta ſuperni.
Non homo ſed tantum relligioſa fides
Affuit haec teſtis: viditqȝ haec vna quod ipſi
Diſcere coeleſtes vix meruere chori
Haec eadem nobis coeli penetrale recluſit
Traxit ꝛ in ſuperas pectora noſtra domos.
Cedite iam phariae mentes curaeqȝ procaces.
Quod canimus veſtra ſedulitate caret.
Non radij nunc ſi qua latent non aſtra recludent
Sed mihi ſancta comes duxqȝ futura fides

Ad diuam grāꝝ virginem. Elegeia. xiij.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Patris veneranda parens o filia nati.
Sidus ⁊ aſtriferi ianua ſancta poli.
Accipe diua pij non impia munera vatis
Laudibus immixtas accipe diua p̄ces
Ante thronum nati ſupplex tu crimina mundi
Diluis: ⁊ mundo pandis ad aſtra gradum
Iram ſaepe tuae lachrymae flexere tonantis
Saepe minas lachrymae comminuere tuae.
Humanum fortaſſe genus periſſet ⁊ orbis.
Et potuit rurſus mergere cuncta chaos.
Maternae ni rite preces natiqꝫ patriſqꝫ
Fregiſſent iuſti fulmina iudicij
Per te tuta quies: per te ſunt ocia terris.
Preſſa iacent merito bella nefanda tuo
Te duce tuta ratis tumido volat aequore: tutum.
Quilibet orbe vagus te duce carpit iter
Tu pia virgo facis quod dat ſua munera coelum
Supplicibus ſola es portus ⁊ aura reis:
Praeſidium lapſis ſola es: lux vnica caecis.
Quodqꝫ datis fruimur tu pia virgo facis
Humanum tutare genus lux alma: tuamqꝫ.
Perge precor ſobolem conciliare tuis
Imprimiſqꝫ pios haec paruula tecta penates
Deuotoſqꝫ tibi ꝓtege diua lares
Praeſide te pueri valeant iuueneſqꝫ ſeneſqꝫ
Et cum virginibus turba pudica nurus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Arboribus foelix: foelix ſit frugibus annus.
Sitq; ferax tellus: omnigenumq; pecus
Pax ⁊ laeta tuos foueat concordia ciues
Inq; vicem populus ſeq; ſenatus ament
Qua tibi ſponte pius ceſſit geruaſius aedem.
Incolis immodica relligione locum
Fac rata vota pij vatis regina: precesq;
Proq; rudi nitidum te penetrale manet
Quod lapis eſt mox marmor erit ſplendebit ⁊ auro
Haec templi facies quae carioſa tibi eſt
Centum thure pio ſertisq; recentibus arae.
Spirabunt tepidis quaeq; operata focis
Exoluent populi ſeq; haec ad limina votis
Suſpendentq; tuo grandia dona tholo.
Haec te diua manent maioraq; p̄mia: ſed tu
Saepius huc adſis rite vocanda tuis

Et ſic eſt finis huius libri.

Gregorij Tipherni hymnus in virginē dei matrē
Virgo dec⁹ coeli: virgo ſciſſima virgo
Quae ſup angelicos es veneranda choros
Tu niueas formoſa roſas: tu candida vincis
Lilia: tu vultu vincis ⁊ aſtra tuo.
Pura columbellae ſilis: quā lactea veſtit
Penna: nec in toto corpore mēda ſedet.
Quas tu non longe praecedis virgo ſibyllas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Quae tibi conferri deniqꝫ diua poteſt.
Tu mater dilecta dei: tu ſponſa vocaris.
Praecipua tm̄ virginitate places.
Quae licet aediderís dictu mirabile chriſtum
Attamen vt fueras intemerata manes
Per te noſtra caro: meritis ita ſocia fulges
Eſt immortali conciliata deo
Tu ſacꝝ templum: tu fons vberrimus ille es
Cuius inexhauſtā detrahit vnda ſitim
Imus ad aethereas te nos interpte ſedes
In coelum: ꝑ te virgo pateſcit iter.
Auxilio regina tuo non vllius arma.
Nullius horremus te vigilante minas
Tu clypeus: tu torax: tu mortalibus vnum.
Praeſidium miſeris perfugiūqꝫ pates
Quū malus aſſidue mortales raptor oberret:
Eſuriens pauidas vt lupus ambit oues.
Tu facis inſidias eius vincamus ⁊ artes:
Tu rapido tutos a phlegethonte facis.
Tu precibus ſupplex nunqꝫ ceſſantibus oras:
Ut nati fiat mollior ira tui.
Ni facias: adeo paſſim creuere nocentes:
Funditus humanum deleat ille genus
Tu pia ſperantes in te non deſeris vnqꝫ:
Tu vacuas clemens non ſinis eſſe p̄ces.
Tu das optatam languenti ſaepe ſalutem:
Eripis e duro carcere ſaepe reum..

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Te vocat in partu mulier: te miles eadem
Subuenias q̄rulo ſaucius ore rogat.

Saepe procelloſo iactatis aequore nautis
Dirigis in portum ſtella ſerena ratem.

Erigis afflictos: aegris ſolacia p̄bes
Saepe venis terra: ſaepe vocata mari.

Tu morbos durāq; famē bellumq; coherces
Exigis a terris peſtis ⁊ omne genus

Hinc votiua tuis ponuntur munera templis
Quae ſita ſunt virgo millia multa tibi.

Nemo per haec tutus ſine te deſerta viator
Nemo per hoc pelagus te ſine ſoſpes erit.

Et qm̄ claudis portas ⁊ pādis olympi
Et qꝛ tu talis: ⁊ quia tāta potes:

Fer p̄cor auxilium virgo ſanctiſſima nobis
Et ſeruatricem porrige quaeſo manum.

Illiſa eſt ſcopulis ⁊ fundo īpacta carina.
Nec ſine te nauis currere noſtra poteſt.

Nā niſi pro ſolita tu nos pietate miſellos
Foueris. ad cuius confugiemus opem

Salutatio Virginis diuae Mariae. Maphei Vegij Laudenſis.

Irgo decus noſtrum cuius ſe credidit aluo
Diuum ille aeternus rex hominumq; pater.

Cuius ab humano ſanctiſſimus ille decorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Atqꝫ incorrupto ſanguine natus homo eſt

Salue ṽgo ſalus hominum ſalue optima noſtrae
Quae fidei ꝛ noſtrae iura ſalutis habes
Salue ṽgo humiles placido tibi dicimus ore
Tu pia cantatas ſume maria p̄ces
Salue ṽgo tuis flentes aduoluimur aris
Te dignam noſtris flectibꝫ eſſe ſinas
Salue q̄ feſſis requiem mortalibꝫ affers
Quae portus populo lenis ꝛ aura tuo es
Salue q̄ miſeros releuas q̄ paſcis egentes
Quae ſancto lapſos erigis auxilio
Quae regis errantes quae das ſolacia moeſtis
Quae perturbatos concilias animos
Salue virgo parens aīārum ſedula cuſtos.
Quae nunq̄ꝫ fruſtra quando vocaris ades
Tu ſpes certa boni: noſtrae tu ſemita vitae
Tu vita ꝛ fidei firma columna ſacrae
Tu fons vnde fluit quaecunqꝫ eſt grā nobis
Tu dux qua nunquā nos duce fallit iter
Virgo in te conuerſi omnes ſperamus: opemqꝫ
Poſcimus alma tuum reſpice virgo gregem
Reſpice virgo gregem mitis tutare tuumqꝫ:
Conſule ſupplicibus conſule virgo tuis:
Virgo p̄care tuum virgo mitiſſima gnatum
Funde p̄ces gnato funde maria tuo.
Quem ſola aethereis decliuē ſedibus ad te

Traxeris ad miseri vincula ſeruitij
Quem de patre deo genitum te matre fatemur
Non poterit p̄cibus flectier ille tuis
Ille tibi arbitrium ius imperiumq; deoꝝ
Aeterna in diuos ſceptra tibi ille dedit
Ille tibi coelos parere ⁊ ſidera iuſſit
Angelicos poſuit ſub tua iura choros
Tu regina hominū facta es regina deumq;.
Te celebrant diui te celebrant homines.
Ipſa iter ad ſuperos reſeraſti: ad coelica regna.
Coelica nequaquam regna adeunda prius
Ipſa erebi tetro ſeruaſti e carcere ripam.
Tutata auxilio es nos pia virgo tuo
Ergo quando tibi tanta eſt conceſſa poteſtas.
Quando ⁊ pro noſtra nata ſalute venis.
Suſcipe virgo tuis ⁊ nos defende ſub alis
Nos fragile humanum protege virgo genus.
Infectum tanta peccati labe: tot extant
Tam longa in gnatū crimina noſtra timet
Ut quis em̄ ſine te ſperet leuire p̄cando
Quis ſine te veniam ſperet opemq; ſuam
Salue quas dedimus virgo tibi vita p̄ceſq;
Virgo interceſſor noſtra fer ante ieſum

Finit ſalutatio Uirginis Maphei Uegij Laudenſis
Impreſſa Dauētrie iuxta ſcholas Per Jacobū de breda

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
171 G 14